

tione lucet, quâ faccharum si tundatur.

Jam alia abstrusa, quæ in hoc globo manifestantur, silentio prætereamus. Natura enim (*inquit Kircherus in Arte Magnetica*) sæpe stupenda exhibet miracula in rebus etiam vilissimis, quæ tamen minimè cognoscuntur, nisi ab iis qui sagaci ingenio, & ad

scrutandum nato, experientiam rerum magistræ consulunt. De hoc Globo meminit *Monf. de Monconys en Journal de Voyages par Alemagne, imprime à Lion*, se illum ejusque operationes inter alia Autoris nova Experimenta, in domo ejus Magdeburgi vidisse, annotationes autem suas perdidisse.

CAPUT XVI.

De aliis adhæc Virtutibus corporeis & incorporeis.

Varias insuper & diversas ejusmodi, nobis tamen incognitas, dari Virtutes, tam corporeas quam incorporeas, quibus & simul cætera animalia utuntur, fruuntur ac vitæ etiam conservacionem vel quoque interitum inde sumunt, dubium non est. Quoad corporeas: Etiam si omnes in odore consistant & aërea effluvia sint, tamen ab omnibus animalibus non æque sentiuntur vel percipiuntur, sed à quolibet pro ejus naturâ & qualitatibus diversimodè; Alium enim olfactum habet homo, alium aquila, alium canis, alium cervus, &c. *Vide quoque cap. 10. & 32. lib. 3.*

Incorporearum virtutum sine dubio multò plures sunt species, quia autem caremus organis, quibus quælibet harum virtutum propriè sentirî & cognosci possit, incognitæ nobis sunt atque abstrusæ. Sic virtus illa quæ cuti per attritionem seu perfrictionem incutitur, quâ nimirum prurigo sistitur, incognita est, quæ vel qualis sit, cum tamen ejus usus omnibus animalibus communis & frequens.

Deinde est quoque inter virtutes incorporeas referenda illa quæ fermentationes & corruptiones in rebus excitat, ut & calores (uti videmus in calce vivâ, frumentis, & aliis aquâ supersparsis) Item quæ singulares morbos & affectus causantur: Item quæ concoctiones in ventriculis animalium perficiunt, &c. de quibus & aliis plura ignoramus quam scimus.

Porro sicut experimur & percipimus, multas ex hoc Terreno corpore egredi vel effluere virtutes, sese in spatium circumstans longè lateque diffundentes; sic quoque de reliquis

corporibus mundanis sive Planetis non dubitandum, eos singulos pro cujusvis naturâ & qualitate, diversas exspirare virtutes, & illis sese invicem pro diversa eorum, vel proximior vel remotior statione, ut & diverso situ (quando scilicet sese adspiciunt ex Oppositione vel Conjunctione, vel Quadrato vel Sextili, &c.) tangere aut afficere. Quas virtutes Astronomi communiter *Influentias* vocant, quæ pro diversis temporibus ut & affectibus horum mundanorum corporum erga se invicem, vel bonæ vel malæ sunt, & in quolibet corpore plurimos effectus causantur.

Primum autem Sociæ, nostri Terræque globi (quam Lunam vocamus) influxus, adeo est necessarius, ut eo sublato, ille simul cum omnibus animalibus in essentiæ suæ perfectione consistere minimè possit. De Sole tanquam omnium horum corporum Rege seu Rectore jam nihil dicemus.

Deinde, quanquam ex reliquis his Planetariis corporibus, diversi contingant affectus, & quasi correspondentiæ atque influxus, tam erga Tellurem nostram, quam inter se invicem eorumque superreptantes, tamen non ita peculiare sunt, ut Astronomi possint probabiliter de hujus vel illius Civitatis, Regionis, aut Populi tempestate, ubertate, sterilitate, pluviiis, ventis, morbis bellisque indicare & certos effectus prædicere.

Quis enim (scribit *P. Ant. Reita* in oculo Enoch & Eliæ lib. 4. cap. 2. fol. 243. *talium ut & eclipsium arcanos, respectu Telluris nostræ effectus hæctenus penetravit? Ut quid ergo paupelli illi deceptores Astrologi ex astris de futuris*

*Influentia
Astrorum.*

*Influxus
Lunares ut
& à Sole
provenien-
tes præ om-
nibus sunt
necessaria.*

*Astrologi de
futuris con-
tingentibus
nihil certi
prognostica-
re possunt.*

*Virtus prur-
ritum si-
stens, inco-
gnita.*

*Virtus fer-
mentationis
& corrup-
tionis.*

con-